

gatione assumitur formalis disputatio, non constet necne de sufficienti causa dictæ restitutionis; ista que consultantione accedente, signatur commissio directa præfatis iudicibus à Concilio demandatis.

X. Et hæc quidem juxta præxim Romanam; at in Gallia ubi Decretum Concilii Tridentini quoad hanc quinquenni præfixionem etiam Regio Decreto firmatum est, restitutio in integrum contra hunc quinquenni lapsum recipi non solet; neque executio rescipiti Pontificii cum clausula hujusmodi restitutionis admitti; nisi in casu admodum extraordinario, uti docet Brodeau in notis ad Louët *lit. C. n. 8.* ibidem referens plura Parlamentorum judicata, quibus hujusmodi restitutiones ab usura declarata fiere; & latius prosequitur Carolus Fevret tract. De Abusu *L. 5. c. 3.* Et admodum notandum exemplum refertur in libro cui titulus *Journal des Palais* Tomo 7. p. 65.

Monet insuper Fevretius ibidem n. 26. non sufficere, intra quinquenniū fuisse reclamatum; sed constare debere de reclamatione per instrumentū authenticum in scriptis; quemadmodum professio ipsa Religiosa per scriptum, non autem per testes probari debet; uti supra monuimus.

XI. Secundò juxta Decretum Concilii Tridentini. debet Regularis causas nullitatis, quas præten dit, deducere coram Superiore suo & Ordinario.

XII. Superior, de quo in Decreto, intelligitur Superior localis, id est, illius Monasterii, in quo professionem emisit, seu ubi à Superioribus collocatus fuerit: cum sub nomine Superioris regularis, inquit De Luca *Disc. 4. ad Concil. Trid.* veniat ille, qui est Prælatas illius Monasterii, vel Conventus, non autem totius Ordinis.

Huis convenit arretum Parlamenti Parisiensis quo declaratum fuit, Provinciale Minimum ab usu processu proprio sua auctoritate ad declarationem nullitatis professionis alicujus sui Religiosi. Fevret dicto loco.

Similiter Ordinarius habetur ad mentem Synodi, qui est Ordinarius loci in quo situm est Monasterium Regularis nullitatem deducens.

XIII. Porro Synodus ad majorem cautelam Superiori Regulari adjungens Ordinarium, non planè corrigi jus commune, uti bene observat Fagnanus ad Cap. NULLUS *De Regularibus;* "quoniam de jure veteri, ait, Monasteria subiecta erant Episcopo Diocæsano *Can. Monasteria 18. qu. 2.* & ad eum spectabat cura & sollicitudo Monachorum: unde ipse poterat nulliter professos ejicere, sicut poterat illos ad Religionem admittere." Hæc Fagnanus; ex his ulterius concludens, Concilium Tridentinum dum jubet adhiberi Episcopum in iudicio nullitatis professionis, esse favotabile, & latè interpretandum; cum per illud reditus fiat ad jus commune.

XIV. Quamvis ergo Synodus Tridentina verbis expressis dumtaxat loquatur de Regulari subdito volente nullitatem professionis deducere, nihilominus præten dit Fagnanus, juxta naturam correlativorum, quod si Religio ipsa seu Conventus contendat nullitatem professionis, eadem quoque deducenda sit coram Ordinario: quin & ex eadem ratione correlativorum, ac insuper ex eo quod sit professio quidam contractus ultro citroque obligatorius inter professum & Monasterium, in quo consequenter utrimque æqualitas servanda est, conficit, Monasterium seu Religionem teneri intra quinquenniū causas nullitatis deducere; eoque elapso non amplius audiendum; quod & S. Congregationem censuisse testatur.

XV. Refert autem Fevret: loco citato *num. 28.* in terris Ecclesiæ & quibusdam Provinciis, quas *Obedientia* vocant, causam hanc ad præscriptum Synodi Trid. peragi; at in Gallia usu receptum esse, ut professionis nullitatem præten dendo, recurrere teneatur ad Pontificem, à quo obtineat rescipitum, quo causa delegetur iudicibus in partibus; & si aliter fiat, processum tamquam ab usum rescindi.

XVI. Tertio mandat Synodus, ut, si Regularis antequam causam nullitatis coram Superiore suo & Ordinario deduxit, habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandam causam admittatur, seu ad Monasterium redire cogatur, &

tamquam Apostata puniatur; interim verò nullo privilegio suæ Religionis juvetur.

XVII. Porro ut ad Monasterium redire, habitumque assumere cogatur, donec causa integrè deducta & finita sit, non attenditur, num justa causa dimittendi habitum fuerit, vel non; uti monet De Luca citato *Disc. 4. de Regularibus.* Mandat enim Synodus simpliciter, ut Regularis, qui sponte habitum dimittit, priusquam causa legitime deducta sit, restitatur, ac si numquam habitum dimisisset; ne aliàs, ait, "ita Religio sub hoc prætextu concedatur licentia vivendi extra claustra durante lite; quæ ita in longum protrahi posset, quamvis agnosceretur, quod litis eventus futurus esset malus, dum ita obtineretur intentum vivendi interim in sæculo."

XVIII. His consonat, quod Carolus V. dicto anni 1535, Bruxellis edito declarat, "Ne quis Apostatas Religiosos, aut sine licentia exeuntes recipiat aut hospitetur vel alit sitat, sed denuntiet Officiario loci, qui apprehensos restituat Monasteriorum præfectis, unde fugerunt, & si super dispensatione aut professione litigandum sit, iudex in habitu eos maneat & in aliquo loco Religioso interim degere jubebit." Zyp. in Jure Novo *Tit. de Apostatis n. 9.*

CAPUT VII.

An Monachi contumaces & rebelles possint post professionem à Monasterio ejici; & à Religione abscondi?

- Olim licitum fuit, Monachum rebellem & incorrigibilem à Monasterio ejicere.
- Tentanda omnia pro ejus emendatione priusquam ejiciatur.
- Monachus ejiciendus induebatur veste seculari & absconderebatur absolute à Religione; & à Superiorum Regularium cura & regimine solvebatur, & Episcopo subdebat.
- Hæc disciplina etiam sæculo IX. quin & XIII. obtinuit.
- Hæc tamen disciplina paulatim mutari cepit; & quæ?
- Jus Decretalium non admittit ejectionem absolutam à Monasterio vel Ordine.
- Jus Decretalium repugnat antiquis Monachorum Regulis.
- Aliquando acriter disputatum, num jus Decretalium hæc in esse esset in usu; & an conveniret in usum deduci.
- Decretum Urbani VIII. circa ejectionem incorrigibilium, deliquo usque veterem disciplinam renovans.
- Num moribus nostris hoc decretum sit receptum.
- Circa Monachos Apostatas hodierna disciplina à pristinis Monachorum Regulis recedit.
- Magna cura adhibenda à Superioribus, ut rebelles ad meliorem reducant.
- Veteres Monachorum Patres solliciti fuerunt, ne ovis morbida alias insiceret.
- Merito exactius examen hodie circa recipiendos ad professionem, quam olim præmittitur.

Monachos incorrigibiles olim potuisse ejici à Monasterio, ex Monachorum Regulis manifestum est. Et quidem S. Benedictus *cap. 28. Regula* præscribens modum, quem Superior in correctione Monachi inobedientis servare debet, si omnibus adhibitis nihil profecerit, vult, ut à Congregatione abscondatur. "Si quis Frater frequenter correptus pro qualibet culpa, inquit, si etiam excommunicatus non emendaverit, acrior ei accedat correctio; id est, ut verberum viadicta in eum procedat. Quod si nec ita correxerit, aut forte, quod ablit, in superbiam elatus, etiam defendere voluerit opera sua, tunc Abbas faciat quod sapiens Medicus. Si exhibuit fomenta, si unguenta adhortationum, si medicamina Scripturarum Divinarum, si ad ultimum utionem excommunicationis, vel plagarum virgas, etiam si viderit nihil suam prævalere industriam, adhibeat

hibeat etiam, quod majus est, suam & omnium Fratrum pro eo orationem; ut Dominus, qui omnia potens est, operetur salutem circa infirmum Fratrem. Quod si nec isto medio sanatus fuerit, tunc jam utatur Abbas ferro: abscessionis, ut ait Apostolus: *Auferite malum ex vobis:* Et iterum: *Infidelis si disciderit, discedat:* ne una ovis morbida omnem gregem contamine.

II. Vult ergo Benedictus, ut quidem nihil à Superiore omittatur, quo Monachus ad obedientiam, & meliorem frugem, ac præcipue ad humilitatem reducatur; sed si pertinet max atque rebellis perseveret, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, eum ex Congregatione & Monasterio ejici præcipit.

S. Isidorus vult Monachum inobedientem prius ergastulo coartari, eoque ad obedientiam reduci; "Quod si tum in malo perseverans perduraverit, & pronè voluntate penitentiam agere noluerit, & sæpe ac sæpe contumax murmurator patulè contra Seniores vel Fratres in facie perliterit, & cum propinquis se vindicare maluerit, in collatione deductus exuatutur Monasterii vestibus; & induatur, quas olim adduxerat, secularibus, & cum confusiois nota à Monasterio expellatur, ut ceteri emendantur, dum fortassis solus tali correptione ille delinquens corrigatur." *Apud Menardum ad cap. 37. Conc. Reg. 5. 4.*

III. Hinc elucet, Monachos rebelles & incorrigibiles à Monasterio non tantum fuisse ejectos, sed etiam veste Monachali exutos, & seculari indutos, à Monastica disciplina & Abbatum ac Superiorum cura & regimine solutos; atque ita cum reliquis laicis Episcoporum ac Pastorum sollicitudini concreditos.

IV. Quod & sæculo 9. obtinuisse fat aperte declarat Patres Concilii Meldensis anno 845. decernentes *Canone 59.* "Ut Monachus de Monasterio, sine consultu vel præsentia Episcopi aut Vicarii ejus ad hoc regulariter deductus non ejiciatur: cuius dispositione & autoritate de cetero vita & conversatio ejecti, ne perditus perpetuò fiat, si aliquo modo salvati potest, ordinari debet atque decerni."

Quin & sæculo 13. scripsit S. Thomas *Quodlib. 12. q. 7. in.* Quandoquidem Apostolus velit, ut auferatur malum de communitatibus nostris, ne modicum fermentum totam massam corrumpat, justum est, ut abscondamus ac ejiciamus Monachum incorrigibilem & insolentem."

Nequaquam igitur repugnat professioni Monastica, quo minus Monachi post emissam professionem propter inobedientiam & rebellionem à Monasterio ejiciantur, ne contagio ipsorum reliqui inficiantur.

V. Verum cum experientia compertum fuerit, quòd nonnulli Prælati ad ejiciendos suos Monachos essent proniores, atque exinde vagandi occasione acciperent Monachi cum evidendi salutis suæ detrimento, nec non publico Fidelium scandalo, hinc disciplina circa hanc ejectionem mutari cepit.

Et quidem Gregorius IX. in *Cap. fin. De Regularibus.* Ut Præfidentis Capitulis celebrandis secundum statutum Concilii Generalis, seu Patres Abbates, seu Prior res fugitivos suos & ejectos de Ordine suo sollicitè rependant annuatim. Qui si in Monasteriis suis recipi possint secundum Ordinem Regularum, Abbates seu Prior res eorum monitione prævia per sensuram Ecclesiasticam compellantur ad receptionem illorum, salva Ordinis disciplina. Quòd si hoc Regularis Ordo non patitur, auctoritate nostra provideant, ut apud eadem Monasteria in locis competentibus, si absque gravi scandalo fieri poterit, alioquin in aliis Religiosis Domibus ejusdem Ordinis ad agenda ibi penitentiam, talibus vitæ necessaria ministrantur."

VI. Hæc Decretalis, dum mandat ejectos annuatim perquiri, necessarìo supponit (ut rectè post alios Canonistas advertit Fagnanus ad dictum *Cap. fin. num. 37. & Van Elpen Jus Eccles. P. I.*

38.) de cetero illos ejici non posse, ita ut extra loca ipsorum vagentur, sed tantum ne stent cum aliis Religiosis; alioquin inutilis esset circuitus, ut cogendi essent Superiores Regulares ad recipiendos ejectos incorrigibiles, si statim iterum possent illos Monasterio ejicere. Præcipit ergo Gregorius, ut expulsi de cetero ita recipiantur, ut amplius à Ordine expelli non possint, sed in locis competentibus intra idem vel aliud Monasterium detineantur ad agenda penitentiam; quod delatius probatur communi intelligentia ad *Cap. CUM IN ECCLESIS De Majorit. & obedientia*, in verbis: *Alioquin de Fratrum consortio penitus excludatur;* non enim dixit, *incorrigibiles excludi debere à Monasterio, sed à consortio*, ita ut non stent cum aliis, sed recludantur in locis competentibus, ut hic præcipitur, ad agenda penitentiam. Hactenus Fagnanus; qui & ibidem plures refert famosos Canonistas, qui notarunt, per hanc Decretalem expulsionem incorrigibilium à Monasterio vel Ordine esse sublatam; eamque sententiam probatam esse à S. Congregatione sub Pio IV. edito Decreto, & Procuratoribus Ordinum intimato, quo prohibetur ne quis Regularium in posterum ejiciatur à Monasterio, etiam si sit incorrigibilis, sed peccantes à Superioribus ignominia & carcere castigentur, & acrius etiam, si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur.

VII. Non diffidet equidem Fagnanus huic Decreto ac decretali contrariari non tantum S. Benedicti, sed & Augustini, aliorumque Patrum Regulas, quæ satis clarè permittunt omnimodam expulsionem incorrigibilium ex Religione.

VIII. Neque pariter dissimulat, acriter disputatum fuisse sub initium hujus sæculi tempore Urbani VIII. num hæc Decretalis, nec non prædictum Congregationis Decretum usu recepta essent, conveniretque in usum deduci; pregnantesque rationes à Regularibus fuisse adductas, quibus suadebatur, expulsionem à Monasterio esse permittendam; quas ibidem etiam proponit; sed nec rationes deant, quæ hujus Decretalis, & Decreti observantiam postulare videntur.

IX. Omnibus perpensis, S. congregatio probante Urbano VIII. inter cetera Decreta de Regularibus Apostatis & Ejectis statuit sequentia: "Ad hæc, ut imposterum nullus legitime professus ejici possit, nisi sit verò, incorrigibilis; verè autem incorrigibilis minime censetur, nisi non solum concurrant ea, omnia, quæ ad hoc ex juris dispositione requiruntur, sublati in hac parte statuti, & constitutionibus cujusque Religionis, & Ordinis, etiam à Sede Apostolica approbati & confirmati; verum etiam unius annis spatio in jejuniis, & penitentiis probetur in carceribus: proindeque Religio privatos habeat carceres in qualibet saltem Provincia. Elapso autem anno si nihilominus non resipuerit, sed a nimo indurato in sua perversa perseveraverit, ne contagione pestifera plurimos perdat, tamquam pecus morbida ac membrum putre tandem ejici possit, sed ab ipso met Generali tantum ex consilio, & assensu sex Patrum ex gravioribus Religionis eligendis in singulis Capitalibus vel Congregationibus Generalibus; tumque non nisi instructo secundum eorum stylum & constitutiones processu, & plenè probatis causis expulsionis ad SS. Canonum præscriptum."

X. Juxta hujus Decreti tenorem, revocata aliquatenus videtur pristina Monachorum circa incorrigibilium & rebellium Monachorum expulsionem disciplina; sed multum dubito, num moribus nostris hæc congruant; hancque etiam cum tanta moderatione expulsionem patiatur.

Et quidem teste Zypeo in jure novo *Titulo De Apostatis;* mandavit S. Congregatio Nuntio Belgii 26. Februarii 1608. ut Decretalem Gregorii IX. de qua supra,

in his regionibus juberet efficeretque observari per Superiores Regularium.

Neque in Gallia hujusmodi expulsiōnem permitti, lat indicat Renatus Choppinus in suo Monastico lib. 1. tit. 3. atque in contradictorio judicio declaratum fuisse, fas non esse Superiori Monachum à Monasterio ejicere, aut ad triremes condemnare refert Bonifacē lib. 2. tit. 31. cap. 4.

XI. Quoad Apostatas jam notavimus, Edicto Caroli V. cautum fuisse, ne quis Apostatas Religiosos, aut sine licentia exeuntes recipiat, aut hospitetur, vel assistat, sed denuntiet officario loci, qui apprehensos restituat Monasteriorum Præfectis unde fugerunt.

Sat aperte significat Edictum, Religiosos Apostatas etiam invitos ac rebelles Monasteriorum Præfectis esse restituendos, ac in Monasterium retrudendos; quo rursus à pristina Monastica disciplina non nihil receditur.

Pristina enim disciplina non nisi pœnitentes, & emendationem promittentes, qui à Monasterio propria voluntate se subtraxerant readmittebat; atque illos quos in sua Apostasia obstinatos videbat, à Monasterio repellebat.

Frater [ait Regula Benedictina cap. 29.] qui proprio vitio egreditur de Monasterio, si reverti voluerit, spondeat prius omnem emendationem vitii, pro quo egres- sus est; & sic in ultimo gradu recipiatur, ut ex hoc ejus

humilitas comprobetur. Quod si denuo exierit, usque tertio ita recipiatur; jam postea sciens omnem sibi re- versis aduū denegari.

XII. Interim ex illa Patrum disciplina quique sat intelligere potest, quam curam & sollicitudinem, ac prudentiam desideraverint, ac requisierint Patres in Monasteriorum Præfectis, que subditos suos ad obedientiam ac meliorem frugem quacunque viâ reducerent.

XIII. Discere quoque poterunt Monasteriorum Moderatores, ac Monastica disciplina Zelatores, quam solliciti fuerint Monachorum Patres, ut morbidas, atque putridas ac penè desperatas oves à suis gregibus separarent, scientes quàm facile vel ab una infecta Ove totus Grex inficiatur.

XIV. Deinde cum moderna disciplina non permittat, Monachos rebelles, ipsamque Religionem quantumcun- que turbantes expellere & à Congregatione omninò dimittere, major merito hodie in recipiendis ad Monasticam professionem cura, diligentiusque atque exactius examen, & probatio adhibenda sunt, quam olim, dum similes à Monasterio ejicere licebat, uti rectè advertit & monet zelosissimus Monastica disciplina Abbas Trappensis in commentario ad cap. 61. Regule Benedictinæ; cujus verba supra cap. 5. retulimus.

TITULUS XXVIII.

De Voto Obedientiæ

CAPUT I.

Qualis debeat esse obedientia?

- 1. Præcipua virtus Monachorum est Obedientia.
2. De ea Magister Novitios præcipuè instruere debet.
3. Quæ ratione Obedientia dicatur primus gradus humilitatis.
4. Obedientia debet esse generalis.
5. Obedientia requirit plenam à voluntate Superioris dependentiam.
6. Debet esse sine mora.
7. Requiritur ut sit fervens non tepida.
8. Debet exhiberi hilari ac propto animo.
9. Debet verus Obediens renuntiare propria voluntati.
10. Tenetur etiam renuntiare proprio judicio.

I. DE Monachis sui temporis loquens S. Hieronymus Epist. 22. ad Eustochium ait: Prima apud eos, confederatio est, obedire majoribus, & quidquid jussierint, facere. Similiter Sulpitius Severus Dialogi 1. cap. 11. Præcipua, inquit, ibi virtus & prima est obedientia.

II. Et Cassianus Magistri Novitiorum officium describens Lib. 4. Instit. cap. 8. ait: Hæc erit ejus sollicitudo & eruditio principalis, ut doceat juniorem primitus suas vincere voluntates; quem studiose in his ac diligentè exercens, hæc illi semper imperare de industria procurabit, quæ senserit animo ejus esse contraria. Multis siquidem experimentis edocti tradunt, Monachum, & maxime juniores, ne voluptatem quidem concupiscen- tiæ suæ refrænare possent, nisi prius mortificare per obedientiam suas dedicerint voluntates.

III. Primus humilitatis gradus est obedientia sine mora ait S. Benedictus in Regula cap. 5. Non quidem Ordine, sed utilitate, uti notat Smaragdus cap. 13. Diadematis Monachorum: Obedientia, ait, salus est omnium fidelium, obedientia genitrix est omnium virtutum, obedientia regni caelorum inventrix est, cælum aperiens, hominem de terra elevans, obedientia cohabitatrix est Angelorum, obedientia Sanctorum omnium cibus est; ex

hac enim ablectati sunt, & per hanc ad perfectionem venerunt.

Cui convenit illud S. Ferreoli Ucetiensis Episcopi in Regula cap. 1. Primum ut Monachus, quem proprie magister multas in se virtutes edificare, obedientia in se colat, locet fundamentum. Ut verò Obedientia Religiosa vera sit ac perfecta, requiritur.

IV. Primò, Præceptis Abbatis in omnibus [uti loquitur S. Benedictus cap. 4. obedire, etiam si aliter, quod absit, agat. Vel ut cap. 7. dixit, Pro Dei amore cum omni obedientia se subdere Majori.]

Nihil itaque recusandum est [inquit S. Columbanus in Regula cap. 1.] obedientibus veris Christi discipulis, quamvis durum & arduum sit: sed cum fervore, cum laetitia attripendum est. Quia si talis non fuerit obedientia, non erit acceptabilis Deo qui ait: Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus. Et S. Benedictus cap. 68. Si cui Fratri aliqua forte gravia aut impossibilia injunguntur, suscipiat quidem jubentis imperium cum omni mansuetudine & obedientia. Quod si omninò vitium suarum mensuram viderit pondus excedere, impossibilitatis suæ causas ei, qui sibi præest, patienter & opportunè suggerat, non superbiendo, aut resistendo, vel contradicendo. Quod si post suggestionem suam in sua sententia Prioris imperium perdesaverit, sciat junior ita sibi expedire, & ex charitate confidens de adjutorio Dei obediat.

V. Secundò, perfecta Monachi obedientia exigit, ut Monachus in omnibus à voluntate Superioris dependeat; nihilque sine ejus agat consensu. Hinc S. Benedictus cap. 49. suæ Regulæ loquens de operibus supererogationis, vult ut hoc ipsum quod unusquisque offert prius Abbati, si suo suggerat, & cum ejus fiat oratione & voluntate: quia quod sine permissione Patris spiritualis sit, præsumptione deputabitur & vanæ gloriæ, non mercedi. Ergo, ait, cum voluntate Abbatis omnia agenda sunt. Et capite 67. vindictæ regulari vult subiacere eum, qui præsumpserit quidpiam, etiam parvum, sine Abbatis jussione facere.

VI. Tertio debet esse Obedientia sine mora. Hanc conditionem exponens S. Benedictus cap. 5. ait de veris obed-

obedientibus. Mox ut aliquid imperatum à Majori fuerit, ac si divinitus imperet, moram pati nesciunt in faciendo: de quibus Dominus dicit: obedite auribus obedientibus. Et iterum dicit Doctoribus: Qui vos audit, me audit. Ergo hi tales relinquentes statim quæ sua sunt, & voluntatem propriam deserentes mox ex occupatis manibus, & quod agebant imperfectum relinquentes vicino obedientiæ pede jubentis vocem factis insequuntur; & veluti uno momento prædicta magistri jussio, & perfecta discipuli opera, in velocitate timoris Dei, ambæ res communiter citius explicantur.

Benedictio congruens S. Columbanus ait. Ad primum verbum Senior omnes ad obediendum audientes surgere oportet: Quia obedientia Deo exhibetur, dicente Domino nostro Jesu Christo: Qui vos audit me audit.

Et S. Bonaventura: Obediens non est, sed negligens, qui secundum expectat mandatum. Ut obedientia Religiosi Deo acceptabilis, debet esse prompta sine dilatione.

VII. Quartò obediendum non tepidè monet Regula Benedictina cap. 5. sed ferventer, sollicitè & diligenter: & hoc est ex charitate obedire. Charitas enim excitat fervorem & sollicitudinem. Unde cap. 71. dicitur: Omnes juniores Prioribus suis omni charitate & sollicitudine obediant.

VIII. Quintò, obedientia exhibebatur hilariter, sive ut Regula Benedictina exponit; cum bono animo; quia HILAREM datorum diligit Deus. Nam cum malo animo si obedit discipulus, & non solum ore, sed etiam in corde si murmuraverit, etiam si impleat jussionem, tamen acceptum jam non erit Deo, qui cor respicit murmurantis. Dicit cap. 5.

IX. Porro talis nequaquam erit Religiosa obedientia, nisi prius propria renuntietur voluntati. Unde & S. Benedictus veros obedientes dicit, voluntatem propriam deserentes. Et inter instrumenta bonorum operum ponit, voluntatem propriam odisse. Et cap. 7. suæ Regulæ vult, ut quis propriam non amans voluntatem desideria sua non delectetur implere.

Nec tantum propria voluntati renuntiare, atque Superiorum se voluntati subicere tenetur obediens Religiosus; sed etiam proprio judicio renuntiando alienum sequi; juxta illud de veris obedientiæ Filiis dictum S. Benedicti, citato cap. 5. Non suo arbitrio viventes, vel desiderii suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes alieno judicio & imperio in cœnobiiis degentes, Abbatem sibi præesse desiderant. Vel ut ait cap. 72. non quod sibi utile, sed judicatur sequatur, sed quod magis alii. Atque hæc est illa præcisè recentioribusque toties commendata OBEDIENTIA CÆCA; de qua latius capite sequenti.

CAPUT II. De Obedientia cæca.

- 1. Veri obedientes alieno judicio vivunt; & hinc obedientia cæca.
2. Obedientia an exigat, ut in omnibus obediat Superioribus.
3. Interdum magna in obediendo discretione opus est.
4. Non semper Monachum excusat præceptum aut licentia Prælati.
5. Quæ ratione obedientia dicitur cæca?
6. In quibus obedientia debeat esse cæca?
7. In aliquibus cum magna discretione & discussione obediendum est.
8. Valde perversum est obedire Superioribus contra legem Dei aliquid præcipientibus.
9. Aliquorum obedientia merito dicitur inobediencia.
10. Quandoque voluntas Prælati suscipienda ut voluntas Dei.
11. Obedientia fiduciam conciliat Monacho in agendis si Prælati sit talis, qualis esse debet.
12. Subinde major difficultas est, majusque meritum in refragando, quam obediendo Prælati.
I. Sanctus Benedictus de veris obedientibus ait: Non suo arbitrio viventes & desideria suis & voluptatibus obedientes, sed ambulantes ALIENO JUDICIO & imperio. C. 5. Reg.

Qui congruit illud S. Gregorii in I. Regum cap. 14. Vera obedientia nec Præpositi interiora discutit, nec præcepta discernit; quia qui omne vitæ suæ judicium Majori subdidit, hoc solo gaudet, si quod sibi præcipitur operetur.

Nescit enim judicare, quisquis perfectè didicerit obedire: quia hoc tantum bonum putat, si præceptis obediat. Et Joannes Climacus Gradu 4. Obedientia est inexcaminata atque indiscussa mutus, spontanea mors. Obedientia est sepulchrum voluntatis, & excitatio humilitatis: nihil resistit, nihilque discernit, mortua in malis, & in bonis apparentibus. Ita legit editio Veneta.

Hinc illa à Patribus aliisque vitæ Monastica Magistris tot encomiis celebrata obedientia cæca. II. Quid igitur, obediendum in indifferentem ac generaliter Superiorum mandatis, nullumque subditis periculum obediendo imminere potest: adeo ut sine discussione aut examine cæca obedientia in omnibus Prælatorum præceptis obtemperantes in suis actionibus sint omninò securi, quòd nihil Dei voluntati contrarium faciant? Nequaquam sanè.

III. Ad monendi sunt subditi (ait S. Gregorius apud Gratianum 2. q. 7. Can. 57.) ne plus quam expedit sint subditi, ne cum student plus quam necesse est hominibus subditi, compellantur vitia eorum venerari. IV. Cui consonat quod Adamo Monacho, se ob præceptum Superioris quod sequutus fuerat, excusare volentem respondit S. Bernardus.

Sed quid ad me, inquiebat Monachus, ille viderit, cui mihi contradicere fas non erat, Non est discipulus super Magistrum. Docendus, non docturus, ejus lateri adhærebam. Sequi debui, non præire præceptorum auctoritatem. Ad hæc exclamat Doctor ineluctus: O Monachum obedientissimum, cui ex quibuslibet Seniorum verbis ne unum quidem jota præteriret. Non attendit quale sit quod præcipitur, hoc solo contentus, quia præcipitur. Et hæc est obedientia sine mora. Si ita oportet, sine causa legitur in Ecclesia: Omnia probate, quod bonum est tenete. Si ita oportet, deleamus jam de libro Evangelii: Estote prudentes sicut serpentes, sufficienter quippe quod sequitur, Et simplices sicut columbæ. Nec dico à subditis mandata Prælatorum esse didicanda, ubi nil juberi deprehenditur divinis conditionibus institutis, sed necessariam alsero & prudentiam, quæ advertitur, si quid adversatur, & libertatem, quæ ingenium contemnatur.

Prudentia ergo Christiana etiam in obediendo necessaria est Monacho. Et sanè quia omnis Superior homo est, isque peccatis & ignorantis obnoxius, quidni & in præcipiendo à lege Dei incommutabili recedere possit? Quod si contigerit, indubitanter, uti loquitur Bernardus, peragendum in Petri sententiam: Quia oportet Deo magis obedire, quam hominibus. V. Quæ ratione ergo cæca obedientia? Respondeo, cæca est ea quæ cupiditas seu amor proprius suggerit. Vera enim ac perfecta obedientia non solet discutere, aut inquirere, quæ contra Superiorum mandata amor proprius sive cupiditas suggerit, ut se à mandatis eximere possit; ut puta, quod naturæ nimium dura & aspera, imo quoddammodo impossibilia: quod alteri potius quam sibi id injungendum esset; quod importuno præcipiatur tempore; quod ultra Regulam; quod indiscretè; imo malo & aversio animo, atque similia: Ad ista, inquam, cæca est perfecta obedientia, nihilque eorum sollicita attendere, aut discutere; Prælatorum judicio, tanquam Dei Ordinationi se subiciens.

VI. De his intelligi oportet illud Bernardi tractatu de præcepto & dispensatione cap. 10. Porro imperfecti cordis & infirma proterius voluntatis indicium est, statuta seniorum studiosius discutere; herere ad singula quæ injunguntur, exigere de quibusque rationem; & male suspicari de omni præcepto cujus causa latuerit; nec unquam libenter obedire, nisi cum audire contigerit, quam libenter obedire, nisi cum audire contigerit.